



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XIII. Quod toto corde anima devota Christi unionem in Sacramento  
affectare debet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)



## CAPUT XIII.

*Quod toto corde anima devota Christi  
unionem in Sacramento affectare  
debet.*

## VOX DISCIPULI.

**Q**uis mihi det, Domine, ut inveniam te solum, & aperiam tibi totum cor meum, & fruam te, sicut desiderat anima mea: & jam me nemo despiciat, nec ulla creatura me moveat vel respiciat, sed tu solus mihi loquaris, & ego tibi, sicut solet dilectus ad dilectum loqui, & amicus cum amico convivari?

Hoc oro, hoc desidero, ut tibi totus uniar, & cor meum ab omnibus creatis rebus abstraham; magisque per sacram Communionem, ac frequentem celebrationem, cœlestia & æterna sapere discam.

Ah Domine Deus, quando ero tecum totus unitus, & absorptus, meique totaliter oblitus?

Tu



Tu in me, & ego in te; & sic nos pariter in unum manere concede.

2. Vere tu es dilectus meus electus ex millibus, in quo complacuit animæ meæ habitare omnibus diebus vitæ suæ.

Vere tu pacificus meus, in quo pax summa & requies vera, extra quem labor & dolor, & infinita miseria.

Vere tu es Deus absconditus; & consilium tuum non est cum impiis, sed cum humilibus & simplicibus sermo tuus.

O quam suavis est Domine spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo, de cœlo descendente, illos reficere dignaris.

Vere non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut tu Deus noster ades universis fidelibus tuis; quibus ob quotidianum solatium, & cor  
eri-



erigendum in cœlum, te tribuis d  
edendum & fruendum.

3. Quæ est enim alia gens tam  
inclÿta, sicut plebs Christiana?

Aut quæ creatura sub cœlo tam  
dilecta, ut anima devota, ad quam  
ingreditur Deus, ut pascat eam car  
ne sua gloriosa?

O ineffabilis gratia! o admirabi  
lis dignatio! amor immensus homi  
ni singulariter impensus!

Sed quid retribuam Domino pro  
gratia ista, pro charitate tam exi  
mia?

Non est aliud, quod gratius do  
nare queam, quam ut cor meum  
Deo meo totaliter tribuam, & inti  
me jungam.

Tunc exultabunt omnia interio  
ra mea, cum perfecte fuerit unita  
Deo anima mea.

Tunc dicet mihi: Si tu vis esse  
mecum, ego volo esse tecum. Et  
ego respondebo illi: Dignare Domi  
ne



ne manere mecum, ego volo libenter esse tecum.

Hoc est totum desiderium meum, ut cor meum tibi sit unitum.

CAPUT XIV.

*De quorundam devotorum ariditate desiderio ad Corpus Christi.*

VOX DISCIPULI.

1. **O** quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Quando recorder devotorum aliquorum, ad Sacramentum tuum Domine, cum maxima devotione & affectu accedentium, tunc sæpius in me ipso confundor & erubesco: quod ad altare tuum, & sacræ Communionis mensam tam tepide & frigide accedo:

Quod ita aridus & sine affectione cordis maneo; quod non sum totaliter accensus coram te Deo meo: nec ita vehementer attractus & affectus, sicut multi devoti fuerunt, qui præ nimio desiderio Communionis,

nis,